



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

74. An Medicus effectus Sacerdos possit sine peccato mortali exercere
artem Medicinæ? Et an Sacerdos, & Religiosus liberentur à peccato, si hoc
Officium citra mortis periculum exerceant causa ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

patum officium prohibitum erat injungenda, aut de rigore posse diutius ob eam culpam ab altari acceri. Similiter c. 1. de corpore vitatis, dicitur cum eo, qui in duello partem digni amiserat, posse misericorditer agi, & peracta poenitentia permitti ministrare, cum tamen talis, præsertim ante Tridentinum, non fuerit irregularis, & etiam docet Coninch de Sacra disp. 18. dub. 9. num. 89. ubi tenet supradictum Monachum, de quo agitur in d. c. tua nos, non incurrisse irregularitatem, neque aliter in d. c. determinati, & ita hanc sententiam docet etiam Præpos. in 1. p. quæst. 5. de irregular. dub. 10. num. 86. ubi sic ait: In c. tua nos, videtur decerni irregularis quidam Monachus, verum ex ipso textu potest probabiliter colligi non fuisse, cum dicatur, quod licet prædictus Monachus, multum deliquerit alienum officium usurpando, quod sibi minime congruebat, si tamen causa pietatis, & non cupiditatis, id egerit, & peritus erat in exercitio chirurgiæ, omnemque studuit, quam debuit diligentiam adhibere, non est ex eo, quod per culpam mulieris contra consilium ejus accidit, addo reprobandus, quod non post satisfactionem condignam cum eo misericorditer possit agi, ut Divina valeat celebrare. Vbi indicatur, & non fuisse reum homicidii, & non incurrisse irregularitatem homicidii casualis. Nec obstat quod dicitur post satisfactionem, &c. misericorditer, &c. quia similia sæpe adduntur in jure, ut ostendatur esse salutare præmittere aliquam satisfactionem propter aliqualem fortè culpam quæ intervenit, non quod id sit plenè necessarium. Confirmatur, quia hæc verba non sufficienter exponunt & expriment irregularitatem quam non constat aliunde incurri. Adde quod, licet non fuerit irregularis, potuerit Episcopus eum punire, quod alieno officio sese immiscuerit: ergo misericordia non necessariò supponit irregularitatem, sed delictum, propter quod poterat ei prohibere exercitium Ordinis, quod tamen ex misericordia non prohibebatur. Hæc omnia Præpos. loco cit. & idem Sotus, Dominicanæ familiæ decus, asseruit lib. 5. quæst. 7. art. 9. supradictum Monachum de quo agitur in d. cap. tua nos, non incurrisse irregularitatem: unde hæc opinio satis probabilis alicui videri potest, verum quia contraria est communis, tu ne recedas ab ea. Licet igitur, ut supra tenui, non incurratur irregularitas propter homicidium secutum ex opere aliàs illicito adhibita diligentia, tamen hæc doctrina non procedit in casu nostro, cum contrarium sit in jure expressum.

Sup hoc pri-
mo inf. in
ref. 74. §.
vlt. & in fin.
alterius ref.
ejus annot.

Sup hoc est
eodem Mo-
lina tantum
hic cit. in
ref. præteri-
ta §. vlt. cur-
sum ad med.

4. Non desinam tamen in gratiam Confessario-
rum adnotare. Primò quod in d. c. tua nos, illa actio
Monachis & Clericis in Sacris non prohibetur in ex-
trema necessitate, quando, non adest alius chirurgus,
ut potest sæpius accidere tempore pestis, & si illam
operarentur extra hoc tempus cum ignorantia invin-
cibili hujus prohibitionis, non incurrerent irregula-
ritatem. Ita ex Valquez, Turrianus de censur. lib. 5. di-
sp. 64. dub. 1. Molina ubi infra num. 3. & alii. Se-
cundò, Monachus, vel Clericus qui applicat empla-
strum mollificativum quo apostema sese aperit, &
mors inde sequitur sine eorum culpa, non incurrunt
irregularitatem, quia in cap. tua nos, agitur de scissio-
ne, & aduisione. Ita Molina tom. 4. disp. 75. num. 4.
& alii. Tertiò si supradicti secundum peritiam artis
jubeant incisionem & aduisionem, si mors inde se-
quatur, non incidunt in irregularitatem, quia poena
lata contra facientes non ligat mandantes, neque
consulentes, nisi exprimatur. Ita Molina loc. citat.
Quartò Clericus qui secundum artem abscedit, vel
aduissit quando mors est secuta propter morbi gravita-
tem, & non ex aduisione, vel abscissione, puto non
esse irregularem. Ita contra Suarez disp. 47. sect. 7. n. 4.

dicendum est cum Avila part. 7. disp. 6. sect. 1. dub. 10.
concl. 5. & aliis; sed ex supradictis oritur pulchrum
dubium.

RESOL. LXXIII.

An vena sectio sit Religiosis, & Clericis in Sacris
prohibita, ita ut incurram irregularitatem latam in
capite tua nos, si ex tali sectione sequatur mors?
Et an Clerici in Minoribus, quomvis habeant benefi-
cium, possint exercere medicinam, & chirurgiam
abscindendo, & adurendo secundum artem?
Idem est dicendum de Religiosis, si non sint Subdia-
coni.

Et quid, si sint Sacerdotes?

Et an liceat Clerico perito Medico dare consilium, quod
sit minutio sanguinis, dummodo per se ipsam non
faciat dictam minutionem? Ex parte 4. tractatu 2.
Resol. 24.

§. 1. **A**ffirmativè responderet Avila part. 2. disp. 6.
sect. 1. dub. 10. ante conclus. 3. ubi licet: Li-
cet Clerico perito Medico dare consilium quod fiat
minutio sanguinis, dummodo per se ipsam non fa-
ciat dictam minutionem. Ita ille, & ratio est, quia
illa sectio venæ videtur incisio quam prohibet d. cap.
tua nos: ergo.

2. Sed contrariam sententiam docet Molina de ju-
ris. tom. 4. tract. 1. disp. 75. num. 4. ubi ait: Illud
admonerem, venæ apertionem non esse chirurgiæ
actum, ac proinde nec jure inveni prohibuit in-
tatis Ordinibus sacris, neque enim actus ille ad chi-
rurgos spectat, sed ad tonsores qui ad præscriptum
Medicorum & Chirurgorum venas sciunt, in pec-
toralibus autem & odiosis, ut sunt prohibitiones, quæ
irregularitatem inducunt, facienda non est extensio
à paritate, quin neque à majoritate rationis eorum,
quæ disposita compertuntur in jure. Sic ille. Et licet
post hæc scripta invenerim Bonacinam de cens. disp. 7.
9. 4. p. m. 5. n. 5. adversus Molinam cum Avila affir-
mativam sententiam docere, tamen ego puto utram-
que esse probabilem.

3. Notandum est hic obiter contra Avilam loco sup.
cit. & Henriquez lib. 14. cap. 11. num. 1. Clericos in
minoribus quomvis habeant beneficium, posse exer-
cere artem medicam & chirurgiam abscindendo &
adurendo secundum artem. Ita Molina ubi supra n. 2. p. 1.
quod etiam extendit ad Religiosos, si non sint Sub-
diaconi, unde Felinus, ut notat Avila ubi supra cap.
tua nos, de homicidio, intellexit de Religioso Sacer-
dote.

RESOL. LXXIV.

An Medicus effectus Sacerdos possit sine peccato mortali
exercere artem medicinæ?

Et an Sacerdos, & Religiosus liberentur à peccato, si hoc
officium circa mortis periculum exercent causa pie-
tatis, ac proinde gratis circa personas miserabiles,
vel cognatas?

Et an interdictum sit Clericis, & Religiosis exercitium
medicinæ?

Et an si exerceatur per incisionem, vel aduisionem, in-
ducatur irregularitatem morte sequuta, si debita dili-
gentia appposita est? Ex parte 10. tract. 11. & Milici.
Resol. 49.

§. 1. Qui

Quidam Sacerdos per multos annos exercue-
rat artem Medicinæ: nec contentus de his,
quæ alibi scripseram, quæ sivit à me, an peccasset mor-
taliter: nam in posterum volebat jam dispensationem
petere à Summo Pontifice. Respondi, aliquos asserere
re ipsam non peccasse mortaliter. Et idem Martinus de
San Ioseph, in *Non Confess. tom. 1. lib. 1. tract. 11. de Or-
dine, num. 2.* Sic ait. Dizen graves Auctores, quæ les est
prohibido a los Clerigos el exercitar Oficio de Medi-
cos, aunque no corten, ni quemen, por que es ocupa-
cion seglar vedada por todo el titulo, ne Clerici, vel
Monachi. Pero yo juzgo es muy probable la senten-
cia de otros; quæ afirman no les estã prohibido a los Cle-
rigos ser Medicos; por que no ay Texto en todo el
Derecho, quæ lo reprueve; antes parece lo aprueva
el cap. Ad aures, de ætate, & qualitate. Donde Cle-
ment. III. responde a un Canonigo Colonienſe, quæ
non avia incurrido en irregularidad, por que se le mu-
rio el enfermo, a qui en avia curado. Ita ille, qui cū-
Covarraviam, Cardinalem, Sã, Molinam, Henriquez,
Sayrum, & Bonacinam. Et quidem non possum, nec
debeo huic opinioni, tantorum virorum auctoritate
fulcitæ, notam improbabilitatis inurere; imò puto
eam probabilem.

2. Sed contrariam esse veriorē, existimo; quam
docet Sylvester, Rosella, Angelus, Armilla, Navarrus,
& Sanchez, quos citat & sequitur Castrus Palau *to. 3.
tract. 16. disp. 4. punct. 13. §. 2. num. 3.* Dico igitur exerci-
tium medicinæ esse Clericis, & Religiosis interdictum,
ex cap. Clerici 2. de Vita, & honestate Clericor. & ex c. 1.
& segg. Ne Clerici vel Monachi: quibus Textibus ge-
neraliter Clericis, & Monachis interdicitur sæcula-
ria officia. At hoc officium Medici, & Chirurghi etiam
citra incisionem, & aduſionem nimis sæculare est, &
statum Religiosum dedecens: Ergo ex hac parte pro-
hibitiō censetur. Vnde & ad rationem contrariorū
concedo, nullum esse Textum, quo exercitium Medi-
cinæ, vel Chirurgiæ citra incisionem, vel aduſionem
prohibeatur specialiter, & expresse: nego tamen, non
esse Textum, quo sub generalibus verbis prohibitiō
non sit. Ad Textum *in cap. ad Aures*, dic verum esse,
hoc officium non esse Clericis, & Religiosis prohibi-
tum ob periculum mortis; sicut est prohibitiō, cū
exercetur per incisionem, vel aduſionem; sed ob in-
decensiam; eaque de causa non inducit irregularitatem
mortis sequuta, si debita diligentia apposta est: illam
verò inducit, cū per incisionem, vel aduſionem
exercetur. Et ita hanc sententiam præter Palau, &
alios penes ipsum, tenet Garcias in *Summa Theol. mor.
tr. 1. diff. 2. dub. 7. n. 2.* Vide etiam Machadam, *tom. 1.
lib. 4. part. 1. tract. 13. docum. 6. n. 1.*

3. Certum est tamen, Religiosum, & Sacerdotem
à peccato liberari, si hoc officium citra mortis pericu-
lum exerceant causa pietatis, ac proinde gratis circa
personas miserabiles, vel cognatas; quia sic exercitum
non est officium sæculare, statum Ecclesiasticum, &
Religiosum dedecens, sed potius illi conforme. Ita
Doctores citati.

RESOL. LXXV.

An quis incurrat irregularitatem, si voluat, v. g. infirmum,
sibi eum exhibeat, & similia faciat, ex quibus sequatur
mors, aut ejus acceleratio?
Et infirmum Sacerdotes, & Religiosos posse servare infir-
mis, etiam constitutis in ultimo vita, & eos voluere in
lecto, & reliqua exhibere cum prudentia absque metu
irregularitatis. Ex p. 5. tr. 3. Ref. 117.

Si aliquos Religiosos ex his actionibus ab-
stinere metu irregularitatis, sed immerito. Ideo
Tom. V.

asserō cum Avila de cens. part. 7. disp. 6. sect. 1. dub. 8.
quod si quis bona fide det aliquid moribundo, ex quo
sequatur mors, vel acceleratio, licet aliqua sit culpa,
non erit irregularis, nisi sit culpa lata, & si habet ser-
pulum, deponat illum consilio viri prudentis. Vnde in
tali casu non facile formandus est scrupulus. Idem di-
cendum est de illo, qui bona fide revolvit infirmum, ut
commodius cibum subministret, vel magis quiescat,
nam licet acceleretur mors, non erit irregularis nisi ex
lata culpa nimis acceleraretur. Ita Sotus lib. 3. de just.
quæst. 1. art. 9. col. 4. Cajet. 2. 2. q. 64. art. 8. qui infert,
quod est valde notandum, Sacerdotes & Religiosos
servire infirmis etiam constitutis in ultimo vita, &
eos voluere in lecto, & reliqua exhibere cum pruden-
tia, quæ in hujusmodi consuetudine est; nam quidquid in
hoc licet laicis, licet etiam Clericis. Ita Avila; cui adde
Bonacinam de cens. disp. 7. q. 4. punct. 7. n. 12. Henric.
lib. 14. c. 15. n. 5. Suarez de cens. disp. 47. sect. 7. num. 3.
Vgolinum de cens. cap. 19. §. 3. & alios penes ipsos.

RESOL. LXXVI.

An Clerici in Sacris, & Beneficarij assistentes, quando
reus in periculo suspenditur, incurrant irregularita-
tem, & peccent mortaliter?

Idem est dicendum de Religiosis. Ex part. 4. tract. 2.
Resol. 35.

Si intersunt nullam præstando auctoritatem,
non incurunt irregularitatem, peccant tamen
mortaliter, ex cap. sententiam sanguinis, ne Clerici vel
Monachi, secundum Sayrum de censur. lib. 6. cap. 18.
n. 20. & alios. Alij putant peccare tantum venialiter,
si assistant ex curiositate ob parvitatem materiæ. Ita
Suarez de censur. disp. 47. sect. 4. num. 10. Avila part. 7.
disp. 5. sect. 2. dub. 14. quia licet Clericis sit prohibitum
in dicto Canone se immisceant in causa sanguinis,
tamen hæc materia est levis.

2. Sed ego puto Clericos etiam in Sacris, Benefi-
ciarios, & Religiosos assistendo tantum executioni
sententiæ mortis, non peccare, neque venialiter,
quia Canones hoc prohibentes videntur contraria
consuetudine abrogari. Adde quod Vgolinus de irreg.
c. 5. §. 3. n. 3. asserit jura id prohibentia intelligenda esse
de Clericis auxilium & favorem sua præsentia præ-
stantibus.

RESOL. LXXVII.

An Sacerdotes ducentes reum ad furcam, incurrant irre-
gularitatem hortando illum, ut scalam ascendat, vel ac-
celerando executionem iniustitiam, etiam notabiliter?

Et aliqua alia circa hunc actum explanantur, in quo non
incurunt irregularitatem ex defectu lenitatis, nisi tan-
tum ministri iustitiæ, & non alij.

Et tandem notatur Sacerdotes posse sine periculo irregu-
laritatis ministrare infirmis, vertere eos ex latere ad
latus, vel transmutare de lecto ad lectum, vel eis po-
tum, aut cibum porrigere, licet ex his actibus præter
intentionem mors citius sequatur. Ex part. 3. tract. 5.
& Misc. 1. Refol. 80. alias 79.

Hæc resolutio pulchra erit, & maximam con-
solationem legenti præbebit. Aliqui Docto-
res supradictas actiones ab irregularitate excusant, ra-
tione indeliberationis, vel ratione parvitatis materiæ,
& ita docet Henricus lib. 14. cap. 12. num. 7. Avila de
cens. part. 7. disp. 5. sect. 2. dub. 1. §. 8. Reginaldus in praxi
tom. 2. lib. 30. tract. 2. cap. 9. num. 103. Molina de iu-
rit. tom. 4. tract. 3. disp. 74. num. 4. Layman in Theolog.
moral.

Sup. cōtēdis
in hac Ref.
infr. in ref.
79. & ex ref.
80. lege §. 1.
per totum, &
ex ref. 84. à
lin. 6. & infe-
rius in tr. 10.
ex ref. 70.